DE CAUSA PROXIMA PARTUS DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM QUUM...

Antonio Trevisan

DE

CAUSA PROXIMA PARTUS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

QUUM MEDICAM CORONAM OBTINERET

ANTONIO TREVISAN

LEGEBAT



PATAVII

TYPIS PENADA

MDCCCXLII.




766

AL CHIARISSIMO ED ILLUSTRE SIGNORE

GIUSEPPE VALENZASCA

DOTT. IN MEDICINA E CHIRURGIA, I. R. MEDICO PROVINCIALE DI VENEZIA, GIÀ MEDICO DELLE R. MINIERE DI AGORDO, DIRETTORE E MEDICO PRIMARIO DEL R. OSPITALE DI NOACH, MEMBRO CORRISPONDENTE DELLA I. R. SOCIETÀ M. DI VIENNA, ONORARIO DELL'ACCADEMIA SCIENTIFICO-LETTERARIA DEI CONCORDI DI ROVIGO, MEMBRO CORRISPONDENTE DELLA SOCIETÀ M.-CHIRURGICA DI BOLOGNA, ORDINARIO DELL'ATENEO VENEZIANO E CORRISPONDENTE DI QUELLO DI TREVISO, DECORATO DELLA GRANDE MEDAGLIA D'ORO DEL MERITO CIVILE CON COLLANA, ETC. ETC.

QUESTA TENUE OFFERTA
PRIMO FRUTTO DE' SUOI STUDII
L'AUTORE RIVERENTE CONSACRA
QUAL PEGNO DI DEVOZIONE E PROFONDA STIMA

Exoptatissimam quum ad metam pervenirem ab antiquo cogor more mearum, quaecumque sint, cogitationum specimen tradere. Perdifficile autem arduumque iter perficiendum cognosco, viresque haud sufficere, si initio adhuc studiorum meorum, novam detegere auroram, novaque in medicina afferre lumina cuperem; quoniam vero aliorum excogitationum me pedissequum semper aegre ferrem, melius hinc mihi puto Mecenatum nostrorum sententiam in contrariis quam plurimum jactatam ad trutinam revocare, ut quae magis rationem refugiunt argumenta projiciantur, quodque illi magis, juxta me, arridet retineatur, et, per quam possibile erit, extendatur, corollaria illa ab ipso eruendo, quae utilitatis evadere possunt in mirabilium phaenomenorum explicatione huic referendorum argumento. Haec via est quam mihi proposui in hac brevi oratiuncula loquendo. « De partus causa proxima »; quippe quia varia adeo et opposita fuerunt argumenta, quae ab auctoribus hucusque proposita sunt, ut opportunum censeam ea hac die singillatim analysi sub mittere, et unius potiusquam alterius amicum me et defensorem patefacere.

Praemittendum primo erit hic loci sermonem esse

tantum de causa proxima partus naturalis, illius scilicet, qui per naturales vias absolvitur; et colligendi sunt partus immaturi, praematuri, maturi et seri, regulares et irregulares, faciles, difficiles et impossibiles etiam viribus naturae. Partus extrauterini et contra naturam omnino derelinquum, qui semper casus hinis sunt funesti nimium et terribilis, neque unquam hisce in casibus per naturales vias partus efficitur, et manus obstetrici et aliquoties auxilium praestare.

Quovis tempore ad vagas hypotheses confugere arbitrati sunt, qui partus causam proximam detegere studuerunt. Fuit qui eam depromebat a vehementibus motibus, quos in utero exerat fetus, quibus intima ejus superficies consueto magis stimulata in se ipsam se contrahit, et conceptionis productum ex se pellit. Opinio haec absque difficultate prosternitur quum animadvertatur fetum mortuum et molam corpora inanimata exstare et motibus omnimodis orbata, neque actionem excogitatam in uterum ciere posse, et nihilosecius partus aliquando natura marte suo movet, persolvit. Aliqui opinatus est molem uteri pergraudem ad extremum limitem perventam pristinum in statum reduci tendere, ast unius fetus partus post geminorum partus repetitos, hydrocephali, mixti etc. compertum reddit uteri molem ad priorem extensionem nequaquam productam minime partus causam proximam retinendam. Alimentorum corruptio admissa fuit, quae ad fetum deponantur, diuturnam ob moram in

amnios aquis, uti partus motrix; fetus vero fere ad integrum nutritur fluido, quod per matris vasa circulat, opportune hoc in organo elaborato; atque hinc ut absurditas hujusmodi opinionis eluceat sat erit animadvertere id, quod celeberrimus Vaccà scriptum reliquit « intorno alle malattie dette volgarmente putride ». Causa partus proxima ab aliis tribuebatur necessitati respirationis, e nimio loci calore promotae, fetum illis comparando qui in cubiculo hermetice clauso inveniuntur hypocaustis incedentibus; ecquis enim e contra neget habitudinem normalis temperaturae a primis usque diebus conceptionis? Sanguinis menstrui reditus incusabatur utpote qui omni tempore uteri contractiones excitat et producit, idque negare fas mihi erit practicis observationibus innixo, quod multis in mulieribus, aliunde sanis, beneficus hic mensilis fluxus a lactis secretione retardatus quovis effluit mense, quin partus a maturorum epocha declinans habeatur. Silentio insuper praeteream, ne me longis in ambagibus commisceam, hypotheses multas a practicis in medium latas, ut ratio causae proximae partus hauriretur, quaeque plus minusve introspicientibus Medicis satisfecerunt. Celeberrimi Richerand solum excogitationes placet mihi ad memoriam revocare; nam ideam ad hoc magis adcommodatam exhibuisse reor: cujusque argumentum, quoad me erit, paucis verbis evolvere propono, et lucide ostendere, et quousque ingenii parvitas, medicarum cognitionum tenuitas erunt concessurae.

In excellente opere suo, cui titulus. « Nuovi elementi di Fisiologia (Tomo II. del Parto)» quum de partus causa proxima loquatur ita exprimitur: Conceptionis producto maturitatis tempus datum fuit, tunc probabiliter fetus sanguinem e vena umbilicali illatum respuit. Placenta sanguine refertur, atque cohibitus hic humorum cursus successive ad uterum et partes propinquas evehitur. Organa haec ab illorum praesentia stimulata ad actionem moventur, mulier dolores persentit qui primitus vagantes sunt, fortiores dein, postea frequentiores, ad excessum denique suscitantur, a superiori parte inferius diriguntur, ab uteri scilicet fundo collum versus discurrunt. Membranis disruptis, et amnios aquis effusis infantis caput orificio infigitur, diversosque in gyros tractum erumpit, idque humeri aliaeque corporis partibus sequuntur. Tali pacto natura postquam voluptatis sensu fecundationem induxit, dolores inter ejus productum extrudit.

Atque ut ordinem quemdam prosequar in explicatione illius, quod in animo est, prius animadvertere rogo, placentam vasorum congerie constare, duabus nempe arteriis et vena, pauciisque lymphaticis simul junctis textus ope cellulosi, atque organon a natura hoc fuit assignatum ut succi elaborarentur ad nutritionem magisque semper increscentem germinis evolutionem convenientem. Corpus hoc vasculare cellulosum, plerumque uteri fundo adhaeret, per aliquas mammillares eminentias, quae respondentes infra parietum uteri cellulas inflé-

ctuntur, uterinos sinus compellatas Nunc illustris Halleri observationes, a clarissimo Professore Floriano Caldani in posterum confirmatae, certum indubiumque fecerunt et commonstrarunt quasdam arteriarum uteri extremitates ultimas in propagines umbilicalis venae mosculari. Haec vena sanguinem a placenta educens per fetus umbilicum transit, et hepati immittitur. Sanguis ibi deductus in inferiorem cavam et ab hac in cor injicitur, a quo per aortae truncum impulsus et ejus per propagines exit tandem ab ipso umbilico, arterus sic dictis umbilicalibus ducentibus, quaeque quum funiculi umbilicalis directionem sequentes placentam ingrediantur in ramos continuo minores subdividuntur, quorum multi inter se communicantes, multi per anastomosim cum extremitatibus capillaribus venae umbilicalis uniuntur, minimis cum ramis uteri venarum multi conjunguntur, quae magnam in matris circulationem aperiuntur.

Ut vero viam ad finem statutum pergentem eo melius prosternam, una cum notissimo Tommasini (Tomo II. dell' Angioidesi) cujus sanctissima vestigia religiose sequi perutile hic loci existimo, recordabo angioidesim aut vasorum turgorem sanguiferorum, venarum praecipue, phleboidesim, et forsitan harum ad exclusionem, peculiari modo manifestari illius in textu, in quo magna rubrorum vasorum viget copia. Ast haec venarum pathologica conditio phlogoseos effectus esse potest, quum et absque ipsa existere

*

potis sit. Et revera venas intumescere observare est, ubi illae sub oculos prodeant, partis cujusdam inflammatae, uti haemorrhoidales venae conspiciuntur et illae albugineae et artuum superiorum inferiorumve, praegresso haudquaquam aut vigente phlogoseos processu. Causae, quae e Bononiensi Clinico sanguineam angioidesim producere valentes cognoscuntur in « Dynamicas et Mechanicas » discriminantur. Mechanicae conditionis nomine vitia structurae diversa colliguntur aut primaria aut quae hereditate trahuntur aut morbis compositis supersunt, quapropter difficultatem et moram sanguis in suo cursu per venas pati potest, praesertim in textibus minimis venosis productionibus ditissimis, implicato modo serpentibus, et in locis illis in quibus naturalis ipsa dispositio sanguinem retardare et cohibere admodum per se valet. Hujusmodi in casibus, quum pressio morbosa ad quemdam gradum provehatur, partis affectae venae lente intumescent, et sanguine oppletae fient, etiam quin justo major sanguinis quantitas sit quam arteriae impellunt, neque vis augeatur qua ipse movetur. Turgor autem venosus dummodo a dynamicis conditionibus juvetur, activus nunc, nunc passivus esse poterit. Activus habebitur quum dependeat et servetur ab excessu stimuli, ab actione arteriarum morbose adaucta, passivus, quum, nullo actionis in arteriis excessu, a laxitate atonia et parietum venosarum flacciditate progignatur. Verum quum agatur de turgore activo, uti sapienter quidem et adamussim

Hebenstreit considerat, stimuli illi iidem generales, quibus arteriarum oscillatio incitatur, actionem quoque venarum sollicitare debebunt, a qua progressus sanguinis pendet; qua de re facilius intellectu concipitur quomodo, stimulo in una parte adaucto, venae sanguinem non promoveant in truncos majores illa ipsa majori vi qua in ramos arteriae injiciunt, ita operae pretium existimo una cum Hebenstreit angioidesim activam considerare vitale sicuti productum istius organicae vis et activitatis (stimuli excessu morbose adaucto vigente) ob quod venae aeque ac textus cellularis extenduntur et dilatantur, nullo etiam respectu habito impetus aut sanguinis ingressus, et hac extensione sanguinem ipsum sollicitent, et illo se onerare intendant, quo hirudines faciunt modo.

Hisce positis, mei erit nunc illa, quae per me possibilis erit, luce demonstrare placentae vasis et illis uteri partus tempore inesse excogitatam congeriem a Richerand, turgorem nempe et angioidesim Tommasini, quae mediatum effectum sistit mechanicae conditionis non solum, verum etiam dynamicae turgoris eorumdem vasorum activi.

Et equidem primo a physiologicis doctrinis pro comperto tenetur, quo magis animalis fibra majori suae evolutioni appropinquatur, eo major urget necessitas humorum nutrientium ut alatur, et quo majus est incrementum eo magis fortis, robusta et stipata offertur, tum si id ab incitata unione et attractione molecularum elementarium deveniat, tum si hoc ab actione dynamico-che-

mica secernentium vasorum dignoscatur. Insuper fibra variis characteristicis proprietatibus a natura donatur, quae differunt inter se juxta varios textus quibus pertinet fibra, sic membranosus textus contractili gaudet facultate, irritabili fruitur carneus, sensitiva nerveus praeditus est, et sic de ceteris, quae proprietates ipsis in textibus eo magis pronunciatae reperiuntur quo magis eorum increscit evolutio. Tandem si verum est, quod nemo dubitat, calorem atmosphaerae necessarium evadere germinis evolutioni in vegetabilibus et animalibus ordinis sequioris, pro qua opinione Doctor Mandruzzato decertat, quaeque auctoritate verendissimi Professoris Stephani Gallini fulcitur (Fisiologia Tomo II. della Generazione); si verum est hanc temperiem in mammiferis et in homine serbari maximopere a sanguinis affluxu in organon in quo germen educatur; nemo pariter ibit inficias, quod quum temperatura continuo adaucta necessaria sit, statui debeat sanguinis affluxum majorem semper ad uterum et placentam secundum germinis molem, id quod pro parte testatur ab incremento per gradus molis uteri, maturitatem donec gestatio tetigerit.

Hae theoreticae notiones si casui practico de quo nunc quaestio tenetur adplicentur, clare patet quod quo magis germen perfectioni suae appropinquatur, eo majorem sanguinis copiam haurit e placenta, et quod aliunde ob crescentem vim, robur et densitatem fibrae magis semper variis in textibus pronunciatae erunt facultates contra-

ctiva, irritabilis, sensitiva etc. Hujusmodi exempla facti quamplurima reperiuntur, et evidens habetur in motibus fetus in utero matris, qui, quum primis gestationis mensibus imperceptibiles sint suam ob debilitatem, et etiam majorem ob copiam aquarum amnios, sensibiles redduntur quinto mense incedente, sensibiliores semper evenien-do, et matri non semel molesti maturitate ejus increscente. Ita et cordis in fetu pulsationes, quae suae evolutionis initio imperceptibiles sunt, manifestantur ultimis gestationis mensibus ope stethoscopii, quod haud dubio accidit a vi facultatum contractilium, irritabilium et sensibilium cordis ipsius surrecta. Hinc et umbilicalis anulus, qui fetus partem non levis exhibet momenti, quum constituatur a cute, textu celluloso subcutaneo et tendineis fibris abdominalium musculorum fetus, acquirit augmentum propriis in characteristicis proprietatibus contractilitatis et irritabilitatis ita, ut sensim sensimque majus obstaculum sanguinis fluxui offerat, qui sensim sensimque abundius ab utero et placenta profluit et tum etiam illius lumen clauditur (ut inguinalis et cruralis anulus constricti reperiuntur fetu in lucem edito), ut omnino fere cursus refrenetur, impediatur. Umbilicalis anuli continuo crescens haec resistentia, obex hic gradatim major sanguinis cursui uti conditio mechanica considerari debent, ut arbitror, uti vitium quodvis structurae quod per gradus angiodesi favere possit, et congeriei in placentae vasis, et in earum conjunctione cum illis ute-

ri etiamsi justo major sanguinis quantitas non esset, quae ab uteri arteriis infertur. Et si haec resistentia ad maximum suae vis inveniatur, fetu ad perfectionem elato, horum vasorum turgor hoc tempore eminenter pronunciatus nonne esse debebit? Atque haec propositio clarior apparebit, mea sententia, si eam extendere velimus ad partum geminum, trigeminum, quadrigeminum et mixtum, in quibus eaedem locum habent leges jam nunc statutae, sed legitima necessitate evenire debent ante tempus praefiatum partubus maturis ex eo, quia dum una ex parte et numerus et mechanica anulorum umbelicalium resistentia crescit, crescit ex altera et venarum numerus et sanguinis circulatio, et turgor hinc vasorum cum uteri tum placentae prius efficitur. Minor autem sanguinis per umbilicalem venam reditus, obicis causa oppositi ab anulo, quoties illius trunci turgorem non serbat etiam post partum tum in fetus parte tum in parte placentae, atque praxi saepissime sub funiculi umbilicalis varicum nomine reperitur? Mihi hoc propter videtur quod si placentae partialis disjunctio ab uteri superficie, quae vasorum ruptura haemorrhagiam producit (qui exitus in angioidesi ordinario consequitur, ut in posterum erit observatum) sub partus actu non haberetur ita, ut ampla fieret sanguinis emissio, quibuslibet in partubus funiculi umbilicalis varices praedictas inveniremus.

Neque ullo adspectu adversari potest aliquoties mortui fetus naturae viribus tantum partus com-

pleri, quum corpus chemicis tantum legibus obediens exstat, nam hoc in casu sanguinea angiodesis minime consideranda venit sicuti effectus proprietatum characteristicarum quae, physiologica conditione perdurante, anulo umbilicali fuerunt adscriptae; quin immo effectus retinendus est laxitatis, atoniae et vasorum tum fetus cum placentae flacciditatis, quod idem est a dynamica conditione ab istiusmodi vasorum turgore passivo.

Restat adhuc ut secunda propositi argumenti pars evolvatur, idest quod uteri et placentae vasorum turgor partus epocha effectus sit conditionis dynamicae turgoris activi vasorum ipsorum. Liceat ad hoc breviter animadvertere, quod nobis statum uteri, gestione decurrente, considerantibus physiologica inflammatio conspicitur, cujus productum patet, secundum ingeniosam Doctoris Onofrii Scassi deductionem, in membrana fetus Hunteri decidua compellata Haec phlogosis physiologica vix solito a matre offertur primis gestationis periodis et ad maturitatem vergente. Nos vero a praestantissimo Tommasini (Tomo II. dell' Angioidesi) docemur iis in casibus, in quibus morbosi nihil existat, stimuli excessus dummodo excipiatur, quamtumvis in gyrum serpant, et intricata sit venarum dispositio, nihilominus usque dum stimulus physiologicae inter moderationis limites cohibeatur, minime ipsae sanguine onerantur magis quam par sit, atque absque conatibus promovent in truncos majores. Quare ex hoc aliqua probabilitate fluere arbitror, quod quum fetus

augmentum maximum tetigerit, ob causas omnibus notas superentur; hoc est quia uteri parietes a fetu premuntur, amnios aquarum copia imminuta, robustis motibus suis, ob abdominalium musculorum et ipsius diaphragmatis praevalentem actionem in uterum eundem etc. exsuperentur physiologicae moderationis limites, et quum stimuli conditionis pathologicae processus exordiatur, venae umbilicalis systema distendatur, dilatetur; quomodo supra cum Hebenstreit asseveranter affirmatum est generatim evenire venarum; quamobrem in dilatatione sanguinis major copia attrahatur, sollicitetur, et progressivo modo onerari, incumbat et injici

Hoc pacto, uti opinor, demonstratum habebitur, atque adamussim elucebit quomodo fetus maturitatis epocha sanguinem a vena umbilicali ductum recipere deneget, et quomodo congeries et turgor placentae vasorum non solum, sed etiam parenchymatis uteri procreetur, productum, uti actionis mechanicae et dynamicae, activae turgescentiae vasorum ipsorum. Neque angioidesis exitus, ab illustri Tommasini palam facti et descripti, phlogosis nempe nimiam ob parietum venosorum extensionem, et haemorrhagia, parietum ipsorum ruptura, sunt desiderandi, sed hoc in casu eminenter erumpunt, luce clariores comparent. Et si vera phlogosis uteri haudquaquam a cunctis gestantibus praebetur, attamen majorem apud earum numerum manifestatur pulsu frequentiori, calore adaucto, siti, capitis dolore et molesta, sub

abdominis compressione, sensatione, quae omnia symptomata plus minusve patiuntur ultimis praecipue gestationis diebus, quibus reapse luculenter vitalis uteri exaltatio prodit. Cito dein haemorrhagia oritur, quae solito quosque partus sequitur, et exterius commonstratur, aut interius succedit, prouti pervium uteri orificium exhibetur vel non.

Ab inductione comprobatum et ab experientia confirmatum partus tempore a Richerand excogitatum angiocidesim et a me propugnatam existere in vasis uteri et placentae, ut vero propositum argumentum omnibus numeris persolvatur designare est quomodo congeries haec vasorum utero stimuli sit, et quare hic sub partus actu contrahatur. Aptissime celeberrimus Gallini (Fisiologia Tomo II.) et perspienter animadvertendum monet: quod continua earundem impressionum repetitio habitualem mutationes statum illum faciat, cui ipsae elementa provellunt in positione et proportione, posteriorum mutationum discrimen imminuunt quibus constituuntur, et ipsae sensationes neque gratae, neque molestae evadunt, etiamsi impressiones moveantur et ad centrum maximum mittantur. Necessaria itaque hisce in casibus erit nova impressio ut praevaleus ut aliis conjunctim agens, ut distincta sensatio producatur, et majori vi aliqui motus inducantur. Hoc reapse accidit in systemate uterino. Assidua repetitio ejusdem impetus sanguinis, per vasa uteri circulantis, habitualis fit, et hinc respondentes in centro maximo sensationes non percipiuntur; sed tum

cum manifestus turgor vasorum ipsorum addatur, eorum actio comprimens et distrahens, ad quam postremo sanguinea angioidesis reducitur, aliis unitur, nova molestaque impressio in centro maximo animadvertitur, quae, quum transmittatur ope intercostalis nervi filamentorum ad uterum, eum suscitat, atque citissime et vehementer in actionem impellit, quae in propriae cavitatis constrictione et in ipsa contenti expulsione consistit. Vasorum tum uteri tum placentae turgor utero stimulans evadit quindecim diebus, et mense etiam ante partum; uterinae enim contractiones et molis ejus imminutio hoc tempore notatur, et molestiae quibus gestans vexatur suppositam confirmant. Uteri contractionibus musculorum abdominalium et diaphragmatis actio consociatur, una simul illa musculorum corporis humani omnium, ut sensatio molesta superveniens abigatur, et hinc ab harum virium omnium concursu, tandem plus minusve brevi temporis spatio conceptionis productum depellitur, educitur.

Ut vero argumenta allata eo magis confirmentur, auditoribus benignitate rogata, meas investigationes ad immaturum et praematurum partum progredior, ut dignoscatur causas, a practicis recognitas partus quales motrices variis gestationis stadiis, ante scilicet perfectam fetus maturitatem, illas easdem esse quibus vascularis angioidesis generatur, partim a mechanica conditione, a dynamica partim turgoris activi.

Minime tamen illius partus praecocis sermonem

habeo, qui morbose repetitur variis in gestationibus statuto tempore, causa ignota, quique a simplici morbosa eorundem motuum repetitione dependet ab uteri fibris acquisita, sicuti quibusdam temporibus absque causa febris, dyspnoea, deliquium variaeque nervorum affectiones miscentur, et comparent, quaeque affectiones aeque ac morbosa repetitio multoties vincuntur habitualium circumstantiarum mutatione, aut remediorum perturbantium auxilio, quibus habituales motus obtruncentur, auferantur.

Tantum loquar de partubus praecocibus illis, quibus causae cognitae occasionales possunt describi. Supra jam dictum est qua de causa partus gemini, trigemini et mixti nunquam efficiuntur epocha partus maturi, quibus addenda sunt varia conformationis vitia pelvis, excrescentiae polyposae, fungosae, carcinomatosae uteri, abnormitates corporis fetus, et etiam aliqua funiculi umbilicalis vitia, quae vario modo agendo, totidem causae mechanicae turgoris vascularis recognosci possunt, et consequenter partus praecocis. Inter dynamicas turgoris activi causas, status plethorae universalis et localis, ciborum stimulantium et aromatum abusus, spirituosae potiones, cursus diuturni, labores protracti, animi pathemata tam excitantia cum deprimentia, ob vitalem reactionem quae hosce subsequitur, veniunt numeranda; recensentur praeterea morbi venerei genitalium, coitus abusus, lapsus et abdominis percussiones, balnea calida, inflammationes illorum praecipue or-

ganorum, quae directam ob sympathiam cum utero communicationem strictam tenent, puta gastritidem, enteritidem, nephritidem, cystitidem, peritonitidem, sensibilitatem gestantis exquisitam, qua prompte agentium exteriorum actionem et cetera persentit, patitur, quae momenta, quique abusus in diuturnum provehi nequeant, et nullum dubium est, quin universale aut locale excitamentum adaugeant, circulationem incitant, exstimulent, quapropter uteri vasa et placentae necesse, ut supradiximus et statuimus, sanguine oppleri debeot, et ante tempus congeriem illam pati, quam una cum Richerand veluti partus causam proximam cognovimus. Actio ipsa remediorum, quae abortum inducant, generatim a drasticorum purgantium classe selectorum, aliarum plantarum et aromatum stimulantium nullo alio agunt modo, quam irritationis punctum in ventriculo statuendo et intestinis circulationis motum per abdominalia vasa concitando, et turgorem activum in systemata meseraico et haemorrhoidali, et surculis matricis producendo. Pediluvia calida cum seminibus sinapis, adeo inter abortiva jactata, hac virtute unquam fruuntur, nisi quod proprio stimulo ad partes inferiores majorem sanguinis affluxum revellunt, et consequenter varias ad iliacarum et hypogastricae propagines, turgorem tali pacto vasorum tum uteri cum placentae producendo. Mechanici modi, qui hisce postremis temporibus inventi fuerunt, ut partus praematurus artificialis promoveretur, aliquibus peculiaribus in casibus, qua alia actione praediti sunt, nisi

majorem sanguinis affluxum promovendi in partem ab ipsis irritatam? Et quidem tempus, quo maximopere praecoces partus habentur, illud non est, quo menstrua fluere solent? Subsidia denique artis, quibus immaturus partus praepeditur, forsitan omnia non sunt directa aut indirecta contrastimulantia, quibus vitalis processus incitatus prosternitur, et turgor dissolvitur, qui imminentem abortum enunciant, praedicant? Et reapse venae sectiones amplae, hirudines, diaeta austera, quies tum corporis cum animi, omnium potentiarum fuga, balnea frigida abdomini adplicita et vaginae, remedia sunt cuncta, quibusvis temporibus, valdopere laudata, concelebrata.



THESES DEFENDENDÆ

I.

Functiones, quae individui vel speciei conservationi favent, ad secretionem praesertim reducuntur.

II.

In regno animali germen, a prima conceptione usque ad perfectam embryonalem evolutionem, omnes gressus scandit inferiorum organisationum.

III.

In morbis eminenter inflammatoriis princeps remedium est sanguinis evacuatio.

IV.

Frequenter aberratio organica, quae idiotismo conjungitur, vel potius idiotismum parit, est cerebri vel alicujus partis ejusdem organi induratio.

V.

Cuivis medico practico systema quoddam necessarium.

VI.

Remediorum divisio juxta symptomata producta imperfecta necessario est.

VII.

Medica formula est speculum indubium medici scientiae.

VIII.

Alterutrius musculi oculi motoris sectio fere nunquam strabismi curam radicalem explet.